



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

prout promiserat, traheret ad seipsum, verum etiam suae fidei sectatores in hereditatis suae subsidium, in qua salutem fuerat operatus, assidua imitatione vocaret, ut ad ipsius patrimonium defendendum anxia devotione concurrerent, pro quorum redemptione pretiosissimi sui sanguinis pretium ineffabili pietate persolvit. Propter quod universos Principes Christianos, qui sub ipsius tuitionis umbraculo salubri dispositione proficiunt, tanto sollicitius ad terrae Ierosolymitanæ subsidium intendere convenit quanto ex eo quod inimici Christianæ fidei conculcantur, non tam apud homines tituli eis laudis accrescunt quam apud caelestem dominum, cui militant, aeternæ retributionis præmia cumulantur. Cum igitur, progenitorum tuorum vestigiis inhærendo, ad patrimonium Iesu Christi contra perfidos detentores ipsius tam devotè quam potenter insistas, propter quod devotionis tuæ propositum dignis in Domino laudibus commendamus, celsitudinem tuam rogamus attentius & monemus, in remissionem tibi & tuis peccaminum injungentes quatinus inspiratum tibi divinitus tuæ salutis propositum per amplius & perfectius prosequaris ad paganorum perfidiam comprimendam; ut per inquietudinem sollicitudinis temporalis, aeternæ felicitatis quietem tibi valeas comparare, ac is pro cuius obsequio laboras in terris, in participium sui regni te admittat in caelis. Datum Laterani VII. Idus Iunii, anno quartodecimo.

NOBILI VIRO SOLDANO
de Alapia, ad veritatis pervenire notitiam,
& in ea salubriter permanere.

Epist. 49.
Commendat ei
Patriarcham
Antiochenum.

Sicut veridica multorum relatione dicimus, etsi nondum Christianæ religionis susceperis sacramenta, fidem tamen catholicam veneraris, in multis Christi fidelibus deferendo. Vnde de illius immensa pietate confidimus quod te suae visitationis radiis illustrabit, ut gratia divinæ cognitionis accepta, ad cultum aeterni & veri Dei, qui pro salute hominum factus est temporaliter verus homo, devotus aspices. Quapropter in nomine Iesu Christi te attentius exhortamur quatinus iustitiam excolas & diligas veritatem, quæ in salutis semitam dirigent gressus tuos, & venerabilem fratrem nostrum Antiochenum Patriarcham, quem suæ probitatis intuitu inter ceteros fratres & coepiscopos nostros sincera diligimus in Domino caritate, habens ob reverentiam nostram propensius

Tom. II.

commendatum, ipsum & Ecclesiam ejus non permittas, quantum in te fuerit, ab aliquibus indebitè molestari, quin immo eidem exhibeas auxilium & consilium opportunum; ut per hoc divinæ majestatis gratiam & apostolicæ sedis favorem tibi valeas comparare. Datum Laterani VII. Idus Iunii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

PETRO PATRIARCHÆ
Antiocheno.

CVm præter decem & octo præbendas, quæ in Ecclesia tua esse noscuntur, duas de novo de redditibus mensæ tuæ creare disponas & de tuorum Canonicorum assensu statuere, ut vicesimo Canonicorum numero eadem Ecclesia sit contenta, fraternitati tuæ, de cujus discretione plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus id super his, sublato cujuslibet appellationis & contradictionis obstaculo, de tuorum Canonicorum assensu constituas quod animarum salutis & ejusdem Ecclesiæ utilitati videris expedire. Datum ut in alia.

Epist. 70.
Vt duas præbendas creare possit in sua Ecclesia.

E I D E M.

CVm quædam possessiones Ecclesiæ tuæ deterioratæ sint plurimum propter guerras, & concedendi easdem in emphyteosin vel ad firmam à nobis licentiam duxeris postulandam, fraternitati tuæ, de cujus discretione plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus quatinus super his ad Ecclesiæ tuæ commodum cum Capituli tui assensu facias quod videris expedire. Datum ut in alia per totum.

Epist. 71.
De possessionibus dandis in emphyteosia.

E I D E M.

SI terra illa, in qua vera pax nostra Dominus Iesus Christus, qui fecit utraque unum, pro salute humani generis nasci dignatus est, illo perturbante qui noviter universa penè orbis terræ fundamenta commovit, pressuris diversis exponitur, perturbationibus conquassatur, & impugnatur etiam ab inimicis nominis Christiani, non sic tuus animus debet pro his deici & interiùs commoveri quin te taliter per spiritus fortitudinem ad tentationes exponas quod idem circa tribulationes hujusmodi potius dilatetur, in infirmitatibus gloriano, quia fidelis Deus, qui non patitur servos suos ultra posse tentari, te ac alios, quorum fidem per instantem tentationem examinat, consolabitur citius quam creda-

Epist. 72.
Hortatur eum ad constantiam.

Yyy